

fuit. Illa barbaris effertisque nationibus urbium munitissimarum 1593
 objectu fortiter obstitit, quibus modo dirutis, atque in cineres
 bellorum casibus, temporum injuriis reductis, immensaque
 illa potentia ac magnitudine extincta, vos tantæ Reipublicæ
 (quatenus fieri possit) exemplum æmulari debetis; iisdem
 artibus barbaris nationibus obsistere, neque pati, ut amplissi-
 mus iste aditus, qui in vestro imperio est, immanissimarum
 gentium colluvioni in posterum pateat.

Rationum momenta utrimque magna dicendi vi disceptata
 ambiguum adeo consilium reddidere, ut, in diversas sen-
 tentias discedentibus, ea die nihil decerneretur. Sed, paulo
 post denuo re diligenter excussa, latum, ut Senatores qua-
 tuor in Carnos profecti, situ provinciæ explorato, locum,
 in quo munitio ædificaretur, pro majori parte deligerent.
 Missi Marcus Antonius Barbarus, Jacobus Fuscarenus, Mari-
 nus Grimanus, Leonardus Donatus, Equites ac Marci Pro-
 curatores, Zacharias Contarenus Eques. Ii Senatus jussu Joan-
 nem Baptistam Montium, summum peditatus præfectum, Ja-
 cobum Malatestam, Erasmum Malvicinium, Marium Saor-
 nianum, Marcum Antonium Martinengium Villaclarum, at-
 que alios muniendarum arcium peritos secum duxere. Accu-
 rate locorum situ, qui ad eam molem struendam opportunus
 esset, inspecto, omnes consensere, ut in planitie Palmata,
 divi Laurentii fano, Ronchorum ac Subsilvæ vicis distincta,
 nova arx excitaretur. Locus tantæ rei perficiendæ opportu-
 nus, præter ceteros, visus; quod aliis Forijulii oppidis atque
 urbibus subveniando aptus haberetur; quippe qui ab Utino
 decem circiter passuum millibus; a Marano, maritimo oppi-
 do, octo distaret; atque ad subsidia terra marique excipienda
 valde idoneus haberetur. In latam enim amplamque planitiem
 extenditur, a montibusque ita subducitur, ut inde nullas
 injurias pertimescat; nullis substructionibus, nullis vetustis ædi-
 ficiorum machinis impeditus; nudo atque explicato solo, ad
 quamcumque munitionis formam excipiendam aptus. Senatores
 ad urbem reversi, cum in Senatu retulissent, eorum decre-
 tum frequentes Patres confirmavere. Mox de forma ædifican-
 dique ratione actum. Novem propugnacula construi decretum:
 simulachrum arcis a Julio Saorniano, viro scientia militari;

*Senatus de-
 cretum de
 Senatoribus
 in Carnos
 mittendis
 ob novam
 munitionem
 extruen-
 dam.*